

Atque ij quidem omnes, qui rationem habuerunt motus rerum animatarum animum id, in quo vis esset maxima ad mouendum, esse posuerunt. Qui autem cognitionem in eo & sensum rerū quæ sunt spectarunt, ij animum principia dicunt. & qui plura faciunt ea ipsa plura principia animum esse dicunt. qui verò vnum hoc ipsum, vt Empedocles ex elementis omnibus, esse autem vnumquodque horum animum tradit his versibus,

- „ Terram nanque homines ex terra vidimus ipsi,
 „ Sic genus ex vnda nostrum cognouit & vndam,
 „ Aethere diuinum sic æthera, & ignibus ignes.
 „ Visus amore amor est, tristi discordia lite.

Eodemque modo Plato in Timæo animum ex elementis facit. Rem enim similem simili cognosci, res autem constare ex principiis. Similia ab eo in libris quos de philosophia scripsit, tradita sunt. Ipsum enim animal ex vnius idea primisque longitudine, latitudine, & altitudine constare, cæteraque eodem modo. Præterea alio etiam modo hæc tradit, mētem esse vnum, duo scientiam, vno enim modo ad vnum referri. Latitudinis autem numerum opinionem, soliditatis verò sensum esse. Numeros enim species ipsas, & principia dici rerum omnium, eosque esse ex principiis & elementis. Iudicari autem res partim mente, partim scientia, alia opinione, alia sensu, hos verò numeros species esse rerum omnium. Quoniam autem animus videbatur esse, & id quod ad mouendum, & id quod ad cognoscendum vim habet: sic nonnulli hæc duo coniunxerunt, vt animum numerum seipsum mouentem esse dicerent. Discrepant autem de eo quæ sint & quot principia, sed ij maxime qui corporea faciunt, ab iis qui ea corpore vacare volunt, minus autem ab iis qui coniungunt & ex ambobus principia ponunt. Discrepant etiam de multitudine. Alij enim vnum, alij plura ponunt. Conuenienterque his animum etiam definiunt. Vim enim mouendi habere, naturam principiorum esse existimant, non sine causa. Itaque visum est nonnullis ignem esse. Hunc enim & ex minutissimis partibus constare, & vnum ex omnibus elementis maxime vacare corpore, præterea cum moueri ipsum, tum cætera primū ciere. Democritus autem subtilius exposuit, cur vtrumque horum animo conueniret. Animum enim & mentem idem esse,